



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Canones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

310 D A M A S V S C O N C I L I V M G R A T I A N I  
P. I. I M P.

eiusmodi vitiorum germen inoleuit, vt ad plena remedia  
difficilis sit recursus; certe non sine verecundia eorum  
quos causa contingit. Quocirca, fratres, librato diu,  
moderatoque consilio, ea cautelæ ratio seruata est, quæ  
& scandala submoueret, & sanctitatem ecclesiæ custo-  
diret.

## C A N O N E S.

### I.

**S**EDIT igitur, neminem post hanc Synodum,  
qua eiusmodi illicitis vel sero succurritur, de-  
digamis, aut internuptarum maritis, ordinari cle-  
ricum posse. Nec requirendum, vtrumne initiati  
sacramentis diuinis, anne gentiles, hac se infelicis  
fortis necessitate macularint, cum diuini præcepti  
casta sit forma. Sed quia fratrum nostrorum vel  
imperitiam, vel simplicitatem, vel etiam præsum-  
ptionem damnare non possumus, nec per omnes  
ecclesias quæ sunt iampridem male gesta corrigi-  
re; placuit etiam de eorum statu qui prius ordinati  
sunt, nihil reuolui, si nulla extrinsecus causa proce-  
dat, qua indigni ministerio comprobentur.

### II.

De puellis vero quæ se Deo voverunt, si ad ter-  
renas nuptias sponte transferint, id custodiendum  
esse decreuimus, vt pœnitentia his nec statim de-  
tetur; & cum data fuerit, nisi plene satisficerint Deo  
in quantum ratio poposcerit, earumdem commu-  
nio differatur.

### III.

Circa eorum vero personas, qui se post vnum  
& sanctum lauacrum, vel profanis sacrificiis dæ-

ANNO  
CHRISTI  
374.

ANNO  
CHRISTI  
374.

Anno Christi 374. monum, vel incesta lauatione polluerint, eam censuræ formam duximus esse seruandum, ut his iuxta Synodum Nicænam satisfactionis quidem adiutus non negetur, ne infelibus lacrymis vel solatii ianua desperatione claudatur: acturi vero poenitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, quam ab eo plene sperare debebunt, qui eius largitatem & solus obtinet, & tam diues misericordia est, ut nemo desperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.

Synodus Nicænus cap. 11.

#### IV.

Nec illud, fratres, scribere alienum ab ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis, quicumque se sub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel episcopatus, mortali crimine dixerint esse pollutos, a supradictis ordinationibus submouendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolui in his potest, quod dictum in alios puniretur: cum omnis qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida sit. Diuina vos pietas in æternum custodiat, fratres dilectissimi.

#### S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Florentius episcopus ecclesia Viennensis subscripsi.  
Ego Æmilianus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Eumerius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Artemius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Euodius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Antherius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Rhodanius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Chrestus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Neoterius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Vrbanus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Paulus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.